



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Primi Frisiorum Apostoli. Cap. XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

CHRONICA

Primi Frisorum Apostoli.

C A P. xv.

Sanctus Vulfridus episcopus Eboracensis siue Northumbrorum, episcopatu pulsus, Romam iuit, coram Apostolico papa causam dicturus: sed nauim concendens, flante Fauonio Frisiā appulit, ubi honorificè susceptus est à barbaris & rege Aldgislo, & multa eorum millia verbo veritatis instituit, & fonte salutari regenerauit: unde primus ibi per hyemem opus euangelicum cepit; quod postmodum reuerendissimus Vuillibrordus magna deuotione compleuit.

Aliquanto post, sanctus Ecbertus pater ac sacerdos Deo amabilis, & cum omni honorificentia nominandus, sitiens salutem Frisonum, cum strenuissimis socijs, & ad prædicandum idoneis, nauim ingressus est; sed diuina voluntas eum illi profectioni subtraxit ob aliam ecclesiæ utilitatem. Et unus tantum ex socijs, Vuigbertus, contemnū mundi & doctrinæ scientia insignis, in Frisiā peruenit, & duobus annis continuis genti illi, ac regi, sed sine profectu, verbum salutis prædicabat.

*s. Lamberti mors, & sedis per successorem s.
Hubertum translatio.*

C A P. xvi.

Pipinus Crassus Herstallus, secundus eo nomine dux Brabantiae, filius sanctæ Begghæ, Theodoricum regem capit anno sexcentesimo nonagesimo primo, & sub eo principando statum rerum meliorat. Frisos, capta eorum urbe Traiecto, sibi subiugat, qui nunquam antea didicerant